Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1507
Quelle:
Copyright:

nacionibus vestris perhorrescens timeo. Quia cum me ipsum intueor &c.

CCCCV.

388 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 251. 4. currente calamo minute duabus columnis perscriptus complectitur: I. fine Autoris nomine Tractatum *de Veritate sacrae Scripturae*, qui Capitibus XXXII. constat, et absque ullo Praefamine a C. I. sic incipit: *Restat parumper discutere errores et concordias* (discordias?) *circa sensus scripture hodie plus solito seminatos. tum quia in illa consistit salus fidelium. tum quia illa est fundamentum cuicunque opinioni catholice* &c. Finis C. ult. *Et ut planius intelligatur tractatus de Symonia quem si deus voluerit propono diffusius pertractare.* Tractatum hunc pertinere ad *Johannem Wiclefum*, qui circa annum 1360. Romanam Sedem in *Anglia* oppugnare coepit, testis est *Joh. Baleus* in *Scriptt. Brit. Cent.* VI. edit. *Basil.* 1557. p. 450. et *Th. Tannerus* in *Bibl. Brit.* p. 769. quorum uterque ejus principium recitat. *Guil. Caveus* nunquam illum vidit, sed tantum e *Th. Iamesii Apologia Wiclefi* anglice *Oxonii* 1608. 4. edita memorat *Vol.* II. p. 65. manu descriptum; neque enim typis excusus est, quod fatum plurimae *Wiclefi* lucubrationes habent, quae in *Angliae* Bibliothecis conduntur. Exemplum nostrum, ut multa alia ejusdem Autoris, per *Bohemos* studiorum caussa *Oxonium* frequentantes in continentem advectum est. Legitur enim ad oram infimam *fol.* ult. *Correctus gnauiter anno domini 1407. in uigilia purificationis sancte Marie Oxonii per Nicolaum faulfiss et Georgium de knyehnicz*, quorum prior ad familiam M. *Hieronymi* dicti *Pragensis* pertinuisse videtur. Index alphabeticus, qui *Tractatum* excipit, ab his adjectus fuerit. Et hic et sequentes saepius in *Indice* recurrunt.

II. *fol.* 128. sequitur Tractatus *de Ecclesia* constans Capitibus XXIII. hujus initii: *Quia non nulli eciam illi qui uidentur esse aliquid discordant in materia de quiditate ecclesie. et fides est ecclesia que deberet in christianis omnibus esse una, decet christianos cognoscere matrem suam* &c. Hunc quoque Tractatum in *Anglia* scriptum fuisse patet e narratione C. 7. de *duobus Viris armorum hominibus* (gens d'armes) regiis, qui rei inobedientiae *exierunt Contra mandatum regis violente de carcere et prostrato custode carceris intrarunt septa Westmonasterienſia in quibus vendicarunt omnino exui a subiectione regis ex illius ecclesie libertate* &c. Regem hunc *suum* vocat Autor, cumque in hoc *Tractatu* apertius insurgat in Pontificem *Rom.* quam in priore, vix fallar, si hunc etiam *Wiclefo* adscripsero. Citantur quidem duo Ejus *Tractatus* a *Tannero*, unus inscriptus *de Ecclesia et Membris*, alter *de Ecclesia Catholica*,